

De Henrici in Fredericum imperatorem patrem suum coniuratione.

CAP. CCII.^a

Postquam imperator Fredericus [A] intellexit Henricum filium suum, qui erat in Alemania^a in ducatu Suaviae, contra eum cum Lombardis [a] coniurasse, et quia Lombardi sua iura tam in Alemania quam in Lombardia, defensuros promiserant, et eum regem facturos [b] iurassent, facto Lombardiae civitatum consilio, solis Faventinis displicuit, dicentibus [c] filium contra patrem in aliquo iurare nefas, et facere contempserunt omni modo (107). Ad ea vero supradicta firmanda, legatos Lombardorum direxerunt citissime. Praefatus dominus imperator hoc audiens, magno motus dolore magnaue accensus tristitia, sub anno MCCXXXIII, ex Apulia ad Portum Naonis, et a Portu Naonis in Alemaniam profectus est [d] (108). Ibidem praedictos legatos inveniens cepit; quibus habitis, sapientis usus consilio, ex imperiali dignitate, quae de fonte nascitur pietatis, eos sivit abire. Supradictum vero filium eius capiens, in quamdam insulam [e] Siciliae³ relegatum direxit.

Quando Faventini ivere villam Montis Sancti Petri, et Lauretae [f].

CAP. CCIII.

Altero vero anno MCCXXXV, mense Januarii¹, Faventini, die quodam civitatem praetergradientes Forolivii, castrum Humanae² totum vulcano superante combusserunt hostiliter [g]. Villam Montis Sancti Petri et Sancti Angusti et villam que circa castrum Lauretae³ aderat, flamma combusserunt ultrixi⁴.

Quando Faventini fecere fossatum inter Cosnam et hospitale de Bonzanipo⁵, a Monte Pozoli [h] usque stratum, et iterum succurrerunt Bononiensibus [i].

CAP. CCIV.

Cum Faventini sibimetipsis et suis forensibus optime vellent providere, sub anno a Virginis partu MCCXXXV, die x mensis Maii, ad faciendum eorum fossatum inter Cosnam et ecclesiam Bonzanini, iter aggressi sunt, et ad derivandas aquas

[a] cum Lombardis, C. M. — [b] regem facturos. Sic corrigo. In C. M., regem facturum. — [c] displicuit dicentibus. Sic corrigo; displicuit dicentes, Codd. — [d] profectus est: est additio nostra. — [e] in quamdam insulam. Sic lego. Codd. habent: in quadam insula. — [f] Sancti Petri, et Lauretae. Sic titulus in Cod. V.; sed nihil omnino in hoc capite ejus, quod promittitur in titulo. — [g] combusserunt hostiliter, C. A.; combusserunt ultrixi, C. V. — [h] a Monte Pozoli. Sic C. A. In C. V., tantum: a Monte. — [i] succurrerunt Bononiensibus. Sic lego. In C. V., succurrerunt Bononienses.

[A] Fredericus tunc erat in Apulia. Notandum hoc caput non deficere in C. M.; sed huc transferri, ut ordo temporum servetur. Erat enim in Cod. cap. CLVI.

[societatis

navigavit

2) q. S. card. Chm.

supra p...

2 e

2) Ead

Armen

El. x. i.

no 131

Ormen

Januario quadam
Forlini
Humanae duc. Flumane
ultrixi

4

Virginis
1235 Mai 10